

Johannes Assuerus Ampzing

## **Programma In obitum Honoratissimi Viri Dn Jacobi Steinmanni Senatoris Rostochiensis**

Rostochii: Pedanus, 1615


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774671726>

Druck Freier  Zugang



Assverus, J.  
in J. Steinmann.  
Rostock 1615.
















Programma

IN OBITUM HONORATIS-  
SIMI VIRI

D N. I A C O B I  
S T E I N M A N N I

Senatoris Rostochiensis.



ROSTOCHII

*Typis suis exscripsit Joachimus Pedanus,*

ANNO M. DC. XV.



RECTOR  
Academiæ Rostochiensis  
JOANNES  
ASSVERUS

Amplingius Transilulanus,  
Med. Doct. & Profess.



Non præter rationem est, quod  
Executiæ & Parentalia demor-  
tuorum jam inde à multis seculis  
*Iusta* appellantur. Quippe quod  
nulla de hominibus gens sit, neq;  
tam effærata, neq; tam inhumana,  
quæ non æquum & justum  
censeat; aliquem vitâ functis hono-  
rẽ facere; exceptis solùm pau-  
cis Barbaris, quorum, quod beluino ritu inter se degant,  
non magna est habenda ratio: Ea enim quæ de viris sa-  
pientibus & philosophis, Socrate, Diogene, alijsq; non-  
nullis commemorantur, tanquam inhumanius de sepultu-  
ris dicta; arbitror ego quidem parum intellecta nonnullis,  
qui non animadversâ hypothesi, nullo ea judicio ad  
ipsam thesin rapiunt, & pãsis, quod ajunt, crinibus tra-  
hunt. Enim enim verò quod Diogenes Cynicus ille, ut est  
apud Ciceronem: *Tuscul. quest. lib. 1. num. 93.* projici se in-  
humatum jusserit, & amicis excipitientibus, *volucrisbusné*  
*& feris?* responderit, *Bacillum prope me, quo abigam, ponito-*  
*re: Rur-*



*re*: Rursum illis régerentibus, qvi posset? quippe sensa  
 cariturus? perbellè tandem intulerit, proinde neq. ferarum  
 laniatum obesse quicquam posse sibi nihil sentienti: totum hoc  
 ego ad facetias Diogenis sententiosas & doctrinæ plenas  
 referendum autumo, à quibus ille neq; æger, neq; sanus  
 abstinere potuit. Alioqvi de Diogene constat ex *Laertio*  
*lib. 6.* Splendidam illi & honorificam sepulturam conti-  
 gisse. Consimilis farinæ sunt & alia nonnulla quæ de eo-  
 dem Philosopho apud *Laertium lib. 6. & Stob. serm. 120.* le-  
 guntur. Qvale quidem est illud. *Si canes cadaver suum la-*  
*cerarent: Hircanam sepulturam fore. Sin vultures: Iberam. Ad*  
*si nullum animal accederet: ipsum tempus pulcherrimam sibi fo-*  
*re sepulturam; corpore pretiosissimis rebus, Sole, inguam, &*  
*imbribus absumpo.* Tum illud etjam. Interrogatus, num  
 servum ancillamvè haberet? negavit. Cumq; perconta-  
 tor adjecisset, Qvis igitur te efferet, si moriaris? *Cui*  
*domo inquit, erit opus.* A quâ sententiâ non procul a-  
 bijt *Demonactes*, cum diceret *Factor me sepeliet.* referente  
*Eras. lib. 8. Apoph.* Addam & tertium. Rogatus idem Dio-  
 genes à Xeniae, quomodo sepeliri vellet? *In faciem,* in-  
 quit. Percontanti causam, *Quoniam,* ait, paulò post futurum  
 est ut inferiora fiant superiora: fortassis vulgi superstitionem  
 redarguens, quæ ut plurimum circa funera facienda solet  
 obrepere: qualis est v. g. ut cadaver capite versus orien-  
 tem & pedibus versus occidentem collocetur, deinde  
 porrectis in portam pedibus efferatur: Cerrè, gentiles o-  
 lim stantes cremabantur, & Iudæi hodieq; stantes sepe-  
 liuntur, prout è diverso Christiani demortuos suos supi-  
 nos in terram defodiunt. Ejusmodi ritus supersticiosos,  
 tum immodicum omnem funerum apparatus, haud im-  
 meritò riserunt viri sapientes. Quomodo & de Socrate  
 proditum est, qvi cicutam bibiturus, à quibusdam interro-  
 gatus, quomodo sepeliri vellet? *Eo modo,* dixit; *quo vo-*



*bis facillimum fuerit. Stob. serm. 100.* Eo die, quo venenum erat bibiturus, Appollodorus ei pallium multi pretij ad solatium obtulit, ut eo indutus moreretur. At ille recusavit, arbitratus pallium, quod vivo conveniebat, non convenire mortuo. Idem Athenienses ridens, qui de sepulchris Majorum & Ducum suorum gloriarentur, dicebat; *Duces & plerosq; Majores, quibus superbiebant, extra fines suos sepultos esse: probra verò popularis Reipub. in sepulchris publicis.* Cicero eo Tusculanarum quæst. quem modò citavi, loco, consimilem refert frugalitatem *Anaxagora*, qui cum Lampfaci moreretur, quærentibus amicis, velle ne Clazomenas in patriam efferri, ibidemque sepeliri? *Non necesse est*, inquit; *Undiq; enim ad sepulchrum tantundem est via.* Placuit eadem frugalitas Legislatori *Lycurgo*, qui, ut ex Plutarcho refert Erasmus, universam sustulit sepulchrorum superstitionem. Submovit enim funebres expiationes, nec concessit, ut quicquam unà cum cadavere sepeliretur: nam aliæ nationes, si quid fuisset vivo charissimum, id mortuo addebant in sepulchro. Vetuit etiam titulos & inscriptiones addi monumentis, præterquam eorum qui in bello cecidissent. Sustulit præterea & luctus & funebres nænias, quas reliquorum hominum vulgus, incredibili sumptu & apparatu, etiam per conductos ploratores celebrare consuevit. Sed enim ne solos Philosophos in scenam producam: juvat superioribus addere exemplum magni illius orbis monarchæ *Cyri Persarum Regis*, qui, ut est apud Xenophontem, de sepulturâ suâ hunc in modum statuit. *Meum corpus, ô charissimi filij, cum moriar, neq; in auro condite, neq; in argento, neq; in aliâ re prorsus ullâ, sed illud terra reddite quamprimum.*

Ab horum moribus longissimè abierunt Barbari, De quibus *Calius lib. 9. cap. 43.* Et quidem *Albani* olim nefas putabant curam mortuorum agere. *Lothophagi* defunctos  
iuos



suos in mare abijciebant, asseverantes parum interesse,  
humone, an aquâ, aut igne absumerentur, *Sabai* corpora  
defunctorum, eodem, quo sterCUS, modo, ducebant.  
Quin etiam Reges rejciebant inter sterquilinia. *Scythæ*  
mortuos suos inter epulas honoris causâ vorabant. *Hir-*  
*cani* non alium ad usum canes nutriebant, quàm ut eis  
functos vitâ vorandos obijcerent. Mos erat *Magorum*,  
non humare corpora suorum, nisi prius à feris laniata.  
*Tellure*, canente *Syllio*, is mos antiquus *Iberâ*: *Exanima ob-*  
*scænus consumit corpora vultur. Regia cum lucem posuerunt*  
*membra: probatum est Hircanis adbibere canes. At Celitæ, va-*  
*cui capitis circumdare gaudent ossa auro: & mensis ea pocula*  
*servant.* Qui plura de his volet: *Indorum* legat historias,  
& *Ciceronem* videat *Tuscul. quæst.* loco paulò ante citato,  
prætereaque & *Syllium lib. 13.* Unius adhuc *D. Hieronymi*  
juvat adscribere testimonium. *cont. Jovinian. cap. 36.* *Mes-*  
*fagetæ*, inquit, & *Derbices* miserrimos putant, qui agrotatione  
moriuntur; & parentes, cognatos, propinquos, cum ad senectam  
venerint, jugulatos devorant: rectius esse, dicentes, ut à se po-  
tius, quàm à vermibus comedantur. *Tibarenî*, quos dilexerint  
senes, suspendunt in patibulis. *Hircani* volucris & canibus  
semi-vivos projiciunt. *Caspîj* bestijs mortuos projiciunt. *Scythæ*  
eos, qui à defunctis amati sunt, vivos infodiunt cum ossibus mor-  
tuorum. *Bactriani* canibus ad hoc ipsum nutritis obijciunt senes.  
Quod cum *Alexandri* præfectus *Nicanor* emendare voluisset:  
penè amisit provinciam.

In Dei populo, mos sepeliendi mortuos, semper reve-  
renter est habitus: id quod aded est planum, ut probari  
non sit necesse. *Abrahamus* *Saram*, *Iacobus* *Rachelem*,  
*Tobias* populares suos, sepeliverunt, ipseque aded *Salva-*  
*tor* noster honorem sepulchri non est aspernatus. Quin,  
sepulturâ carere, signum esse vindictæ divinæ, exemplo  
*Iesabelis* fit testatum *2. Reg. 9. 33.* Exceptò, quandò fide-  
bus



bus, ob Christianæ fidei professionem, denegatur honesta sepultura. *Nec enim, dicente Augustino, aliquid nocet fidelibus, negata eorū corporib. sepultura. lib. de cur. ger. pro mort.*

Est autem *Sepultura*, dicente Thomâ, *inventa, ne horror & factor sit vivis, & ad fidem Resurrectionis futura.* Cujus eqvidem, die hodierno, exemplum, haud vulgare proponitur, in funere viri honoratissimi, Dn. IACOBI STEINMANNI, Senatoris hujus Reipub. quondam prudentissimi: cui hac mortali vitâ defuncto, iusta solvenda restant & exequiæ ducendæ.

Prodiit ille in vitam Anno 1550. eo die qui vulgò *der grüne Donnerstag* appellatur: in pervetusto oppido *Wardowick*/quod *Luneburgo* est vicinum. Patre viro primario, NICOLAO STEINMAN, R. Capituli, quod eo in oppido est, Secretario fidelissimo: Matre verò MARGARETA *Tunders*/fæminâ lectissimâ. Qui eqvidē parentes nihil reliqui fecerunt eorum, quæ ad filium, tum pietatis iūmorum disciplinâ, à teneris imbuendum, facere videbantur. Pueritiæ & primos Adolescentiæ annos in scholâ patriâ transegit, patrocinio usus per id tempus Decani capituli, qui, perspectâ indole & ingenio Adolescentuli, dignum & idoneum censuit, quem pœdagogum domesticum filijs suis præficeret. Tandem ad altiora animum attollens, & desiderio ductus nuces illas relinqvendi triviales, quas vocant, *Rostochium*, Fatis trahentibus, sese contulit: ubi apud avunculum suum *Albertum Tundern* aliquandiu fuit commoratus: hoc agens ut inceptum studiorum cursum ad metam perduceret. Sed cùm animadverteret rem domi angustam conatibus suis novercari: mutato vitæ instituto, animum ad Mercaturam applicavit. Et quidē contigit, ut, occasionem hæctus, mercimonia potissimùm tractaret cum Danis; quæ in re plurimùm adjutus fuit, commendatione consanguinei cujusdam



dā sui, *Ioannis Rostorpyffen*/ olim Secretarij Regij; qvi in amicitia, hominū qvorundā, isto in regno, primariorū, cū insinuauerat. Quo utiq; factū est, ut mercimonijs faciundis ille, prout erat industrijs, rē indies strenuē augetet. Vergēte paulatim ad maturitatē ætate, de conthorali aliqvā cœpit cogitare & vinculis sese innectere jugalibus constituit. Maritā ergō & individuam thōri sociā sibi delegit *Elisabetham Dürtopes/ Alberti Dethloffs* p. m. viduam, matronam, omni virtutum genere sexum muliebre ornantium, tum rei gerendæ familiaris peritiā nulli secundam: cum qva annos plus minus octodecim in svavi & longē optatissimo conjugio vixit, neq; alio loco privignos habuit, qvām si suo eos de sanguine progenuisset, deditq; id operam sedulō, ut in viros adolescerent tum Ecclesiæ tum Reipub. utiles.

Priore hac conjugē defunctā, ad secunda vota transiit, & in matrimonium duxit *Margaretam Prengers*/ virginem animi, corporis & fortunæ dotibus præstantem: viri primarij & Mercatoris pannarij, *Hinrici Prengers* filiam. Cum qva itidem, annos circiter septendecim, in matrimonio svaviter & pacificē vixit, liberosq; ex eā sustulit quinq;, nimirum 4. filios & filiam unam, *Jacobum, Hinricum, Margaretam* & duos *Joannes*, qvorum prior primis infantiaē annis fatis concessit: reliqvis adhuc vitæ munere fungentibus.

In communi vitā & conversatione hominum cum se gefsit, qvi pietatem & honestatem totus spiraret. Gravitatem præ se tulit pari cum comitate conjunctam, facilis, affabilis, omnibus æqvus, pacis & publicæ tranquillitatis amantissimus pariterq; & studiosissimus. Undē factum, ut annis antē plus minus decem, dispensante divinā providentiā, in ordinem Senatorium hujus urbis fuerit cooptatus. Quo eiqvidem in officio eum se exhibuit, ut fidem,  
inre-




integritatem & industriam suam probavit universis. Cumq̄ve posteriore hoc anno prætoriam seu judicariam provinciam administraret: subinde suspirare solitus fuit, & vota fundere pro sapientiâ & viribus tum animi tum corporis à Deo impetrandis; quò huic officio esset sustinendo, & juri ex æquo omnibus & singulis dicendo. Quid verò sit? Virum integerrimum, de negotiis hujus Curie ita sollicitum, Deus ter opt. max. avocat in Curiam cœlestem. Etenim quinto huius, in paralyfin dextri cruris incidit, quæ tandem in Apoplexiam abiit. Toto morbi decursu, dici equidem nequit, quantâ fuerit tolerantia & longanimitate, quantaq̄; pariter animi & fidei constantia; quippe qui consolari potuerit etiam eos, qui consolandi gratia accesserant. Cæterum haud obscuris indicis præsentiscens, horam illam præ foribus esse, quâ corruptibilis corporis sarcina deponenda, & è vivorum contubernio migrandum ipsi esset: animam viatico præmuniendam censuit eucharistico, sacrosancti corporis & sanguinis Filij Dei. Deinde liberos ad pietatem aliasq̄; virtutes adhortatus, tandem die Sabbathi proximè elapso, circa primam nocturnam, inter suspiria & preces aditantium, animam exhalavit, eamq̄; Creatori suo reddidit.

Hujus viri Exuvias hodiè tumulo recondendas significo, eumq̄; is, dum viveret, nostri ordinis semper amantissimus fuerit: utiq̄; æquum vicissim erit cives Academici, ut nos quoq̄; extremum ipsi honorem persolvamus, tum ut gratitudinem nostrâ erga piè Defunctum declaremus, tum ut lætissimæ viduæ, & liberis orphanis commiserationem & condolentiam nostram faciamus testatam. Rogo itaq̄; & cohortor omnes & singulos cujuscunq̄; ordinis Dnn. Professores, pariterq̄; & alios Doctores, Verbi ministros & Magistros, tum deniq̄; generosam & studiosam Inventutem universam, uti horâ post meridiem primâ, in æde D. Iacobo sacrâ frequentes conveniant, ad exequias hæcæ præsentia suâ cohonestandas. Quisq̄; etjam pro utriusq̄; Reipub. salute atq̄; incolumitate ad Deum vota faciat. Vetusq̄; illud *Hodie mihi cras tibi*, securâ ipse in animo reputet. P.P. Rostochij 23. Februar. 1615.





















suos in mare abijciabant, asseverantes par  
 humone, an aqua, aut igne absumerentur,  
 ra defunctorum, eodem, quo stercus, modo  
 Qvin etiam Reges rejciabant inter sterqui  
 mortuos suos inter epulas honoris causa vo  
 cani non alium ad usum canes nutriebant,  
 functos vita vorandos obijcerent. Mos er  
 non humare corpora suorum, nisi prius a f  
 Tellure, canente Syllio, is mos antiquus Ibera  
 scanus consumit corpora vultur. Regia cum l  
 membra: probatum est Hircanis adbibere canes  
 cui capitis circumdare gaudent ossa auro: & m  
 servant. Qui plura de his vult: Indorum le  
 & Ciceronem videat Tuscul. quest. loco paul  
 praetereaque & Syllium lib. 13. Unius adhuc  
 juvat adscribere testimonium. cont. Jovinian  
 fagetæ, inquit, & Derbices miserrimos putant,  
 moriantur; & parentes, cognatos, propinquos, c  
 venerint, jugulatos devorant: rectius esse, dic  
 tius, quam a vermibus comedantur. Tibareni,  
 senes, suspendunt in patibulis. Hircani voluc  
 semivivos projiciunt. Caspij bestijs mortuos pro  
 eos, qui a defunctis amati sunt, vivos infodiunt o  
 tuorum. Bactriani canibus ad hoc ipsum nutri  
 Quod cum Alexandri praefectus Nicanor eme  
 penè amisit provinciam.

In Dei populo, mos sepeliendi mortuo  
 renter est habitus: id quod aded est plan  
 non sit necesse. Abrahamus Saram, laco  
 Tobias populares suos, sepeliverunt, ipse  
 tor noster honorem sepulchri non est aspe  
 sepulturâ carere, signum esse vindictæ div  
 lesabelis fit testatum 2. Reg. 9. 33. Excepto,

A 3



the scale towards document